1335. 20 9bris. Ex Cod: MS. Vetus: Arch: Sta: Aug: Regis

95.

21

Nos Vladislaus Dei gratia Lanciciensis et Dobrizenensis Dux, notum facimus universis præsentes literas inspecturis, quòd cum per excelentissimos principes dominos, Carolum Hungariæ et Ioannem Bohemiæ reges illustres, arbitratum et pronunciatum extiterit, terram Dobrinensem per regem Bohemiæ præfatum, ac magistrum generalem Cruciferorum de domo Theutonica tempore guerræ, quæ inter ipsum regem Bohemiæ ac magistrum generalem dictæ domus Theutonicæ, ex una parte; et dominum Vladislaum quondam Poloniæ regem, ex altera, gerebatur, super nos priscis temporibus hostiliter acquisitam, debere magnifico principi domino Casimiro regi Poloniæ, per magistrum generalem Cruciferorum dictæ domus, seu ipsos Cruciferos, restitui atque reddi, ipseque rex Poloniæ eandem terrā propter dilectionis syncera affectum, quo nobis nostræ consanguinitatis adstrictus esse dinoscitur, nobis velit et debeat, ac nostris manibus viceversa reddere ac etiam assignare, prout in ipsius domini regis Poloniæ literis super hoc confectis plenius continetur. Nos præfati domini regis Bohemiæ captare benevolentiam præmissorum intuitu cupientes, ipsum magistrum generalem Cruciferorum sæpedictæ domus Theutonicæ, ordinemque suum de omnibus et singulis damnis, nobis per eos pridem illatis, quitos reddimus penitus et solutos, promittentes pro nobis et hæredibus nostris, firmiter et syncerè eos prætextu dictorum damnorū nunquam impetere quocunque iure, per se vel alios, publicè vel occultè, harum nostrarū testimonio literarum. Datū in alto castro feria tertia post festum beatæ Elisabeth anno Domini 1335.

Wisegrad in Hungaria